



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Wenefrida V. M. 3. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Periclitanti tamen succurrit Angelus bonus, & in somnis ad Prætextatam, *Nimirum*, ait, *egregia cognati sanguinis lena, mundo conciliabis DEO desponsam? DEUM nauseas generum habere, terra filium quæris? ex fronte virginis palestram Veneris facis! ex oculis Cupidini muscipulas struis? ex capellis laqueos nectis amantibus? At non impunè hæc facies. Jam enim, ut abstinere à lenociniis manus discant, arescet manus: jam domum Christus EUSTROCHUM, te orcus ducet: si porro neptem DEO invides, certè morti conjugem liberosque non eripies. Atque hæc omnia evenisse ordine Hieron. affirmat. ò Superi! quid ad nostræ elegantiam atatis dicetis; quando puellæ viros induunt, & (quod turpius longè est) calamistrati viri (phui) in puellas degenerant? S. Hier. *Conditor Angelorum dum in præsepio vagiens reclinatur, non ostro, sed vilibus legitur panniculis involutus. Erubescat ergo terrena superbia & arrogantia redempti hominis, ubi erumpentibus radiis exorti coruscet humilitas Redemptoris. S. Pet. Dam. l. 6. Epist. 14.**

S. WENEFRIDA V. M. 3. Novembris.

WENEFRIDAM nobilem è Britannia Nympham Christo Benvocus vir famâ sanctimonix id ætatis longè maximâ despondit. Nec abnuebant
pa

parentes in tam amplas spes filiam dare ;
sed obstabat Cadocus regis Alani filius ,
ausus castissimam & cælo datam fidem
tentare , cum sola virgo domi ageret. Illa
verecundata aliquamdiu tam inornatam
se deprehensam , in cubiculum abiit
velut mundum inde muliebrem petitu-
ra , reverâ ad asylon (templum) propera-
tura. At Amor tam magnus tyrannus
quàm parvus puer pingitur , alas Cadoco
insequenti suas præbuit. Hic prehensam
virginem & reluctantem ense obruncat.
Et ecce & virtutis & sceleris præmia. Ad
sanguinis fontem fons alteraquæ limpi-
dissimus exsiliit , suasque undas ita etiam
hodie sociat , ut tamèn ripam sanguine
castissimo pietam nunquam abluat ,
muscusque odorem virtutis semper spi-
ret. Porro Benvocus Martyris caput ad
latronem asportavit , ut in eo velut spe-
culo facinus suum & videret & fleret.
Cæcum morti in eo loco devovit , &
WENEFRIDAM , juncto cum corpus-
culo capite , vitæ reddidit. Et Cadoci qui-
dem ajunt etiam corpus disparuisse ,
(Orco nimirum cum animâ tumulan-
dum) WENEFRIDAM verò in virtute
tam doctam virginibus cæteris Withe-
riaci magistræ datam fuisse ; illic mi-
ris multis illustrem ultimò concubiâ
noctæ ab ipso Christo sponso ad nuprias
evocatam abiisse. Ad has quid nî Maria-
ni etiam vos itis ? Ite , & si vox virgo
Xx vobis.

690 VITÆ SANCTORUM. 4. Nov.
vobis est, Hymenæum (licet) canite.
Ex Suario.

Quid sit mundana dignitas & honor, apparet in pulvere; potestas & gloria cognoscitur in cinere; lascivia autem incontinentium & petulantia demergentur in barathri carcere. S. Laur. Iust. ligni vitæ. c. 5.

S. MILUS EP. MART. 4. Novembris.

MILUS Persa cogitabat stipendia sub rege facere. Sed cælum sibi auctoratum ad sua signa compulit, postquam horrido viso objecto, ostendit quam malè ad tyrannum mundum fugitivi homines à DEO transiremus, et si tot stigmatibus, quot beneficiis ab hoc notari. Nec diu Christo militavit, cum Pont. inauguratus ordines inter Christianos cœpit ducere. Sed non tam multæ gravesque illi cum hoste, quam cum domesticis pugnæ fuerunt: quamvis quæ pastorem noluerunt, perierunt deinde oves, urbe & vitâ amisâ; quod ipsum bonâ fide illis, sed non sine lacrymis MILUS vaticinatus est. Alteri etiam Episcopo impendentem è cælo vindictam prædixit; cumque ille non audiret, verborum tonitrua fulmen excepit, & surdas aures correxit. Virum principem gravi ægritudine decumbentem, admotis non manibus, sed precibus absens curavit.